

lingua mea. Ecce, tu Domine, cognoscis. Cognoscat vos Dominus in numero suorum electorum suorum¹, quibus dicturus est²: 'quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis'.

Omnia Christus habet; per Christum cuncta reguntur.

Mentior haud vobis: omnia Christus habet.

III.

Cum vestrae caritatis flagrantia erga pauperes et inopes suaviter respiret, obsecramus vestrae pietatis viscera, quatinus hunc senem nomine N. dignitate presbiterum in Christi nomine suscipiatis. Siquidem infirmitate pedum prepeditus cum suis fratribus ire Romam non potest. Beati eritis, si tali venerabili seni opem pietatis impendatis, qui vos in orationibus Deo commendabit et missas cotidie pro vobis faciet. Testimonium enim de illo perhibemus, quod sit Dei servus et religione peditus.

Sumite Scottigenam devota mente benigni;

O vos Francigenę, sumite Scottigenam.

IV.

Domino venerabili multisque modis laudabili Franconi³ episcopo ego nomine Electus Scottigena, presbiter dignitate, misericordiam semper et felicitatem et gloriam in Christo.

Notum sit vestre pietatis visceribus, quod causa orationis Roma revertens prope hoc monasterium, miserabile dictu, homines, qui mecum erant in eadem navi, spolia mea rapuerunt, hoc est unam albam cum stola et corporalibus⁴ duobus et unam bonam nigram capam, III uncias valentem, et tonicam cum fasciolis, valentem II solidos, et unam camisiam II solidos valentem, et unum rocum valentem unciam, et IIII osas Scotticae vestis, et unam pelliciam et reliquas minutas causas, sed mihi necessarias. Haec autem omnia quidam rusticus homo Burgarii vestri capellani furto abstraxit, qui rusticus Elleger nominatur, Ulferio⁵ ei consentiente, qui homo est Alagundi vestri capellani⁶ et qui cum quodam sacerdote nomine Odacras in castello iuxta Namucum⁷ habitat. Qui ergo largas elemoysinas erga pauperes Christi indefessa clementia peragitis, grandis vobis elemoysina est, domine episcope, coram Deo et hominibus, si peregrini et pauperis presbiteri res iniuste raptas pia misericordia reddi fortiter precipiatis. Vincat vestra pietas raptorum impietatem; quę furtiva manus abstraxit, vestrae nobilitatis dextra retrahat, quo victrix sit vestra benivola bonitas et victa malignorum malignitas. Cito fer opem seminudo et spoliato pauperi, ut vos Christus aeterna vestiat stola. Agite causam Christi, ut Christus vestras agat per omnia causas.

1) Sic!

2) Matth. 25, 40.

3) 'franī' Hs.

4) 'corporibus' Hs.

5) 'ulferī' Hs.

6) 'capelli' Hs.

7) 'Namur'.